

Franckesche Stiftungen zu Halle

Liber Latinus In Vsum Puerorum Latinam Linguam Discentium Editus

Büsching, Anton Friedrich

Berolini, 1767

VD18 1347295X

Caput I. De Homine.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-190266



CAPUT I.

DE HOMINE.

Duabus partibus homo constat, *corpore & animo.*

Corpus cellsum atque erectum constitutum est, ut cælum intueri possent homines, cuius spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.

Supremum locum in corpore obtinet *caput*, cuius vertex & auersa pars capillorum molli velamento vestitur, in aduersa autem *vultus* patet. In huius summa parte, *frons* attollitur, firmis ossium suorum munimentis defendens *cerebrum*. In media vultus parte, *oculi*, tanquam speculatores collocati sunt, lubrici facti & mobiles, ut & declinarent, si quid noceret, & adspectum, quo vellent, facile conuerterent: aciesque ipsa, qua cernimus, quæ *pupula* (*pupilla*) vocatur, & pro luminis modo, se vel contrahit, vel dilatat, ita parua est, ut ea, quæ nocere possent, facile videret. *Cilia & palpebræ*, quæ sunt tegumenta

A

oculo.

oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissime factæ, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas, quod identidem fieri potest, cum maxima celeritate. Munita sunt palpebræ tanquam vallo pilorum, ut apertis oculis, si quid incideret, repelleretur. *Supercilia* & pariter & alterne sunt mobilia. His negamus, & annuimus. Infra oculos *male*, quas prisci *genas* vocabant. Pudoris hæc sedes, ibi maxime ostenditur rubor. Infra eas hilaritatem risumque indicantes *buccæ*.

Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interiectus esse videatur; cumque cibi & potio- nis magnum eius sit iudicium, non sine causa vicinitatem oris secutus est. Eius cavitas, septo partim osseo, partim cartilagineo, diremta, duos narium aditus habet, per quos & aer spirabilis commeat, & res odoratum efficientes, spiritu ductæ, ingrediantur. *Os*, labiorum maxillarumque motu, vel aperitur, vel clauditur, idque fulcitur *mento*. In ore sita est *lingua*, vocis gustusque instrumentum præcipuum. *Dentibus* in ore constructis, manditur, atque ab his extenuatur & molitur cibus. Eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur: quæ confectio etiam a lingua adiuuari videtur.

Ad utramque capitis partem, pone *tempora*, panduntur *aures*, quæ sonum recipiunt. Durum & quasi corneolum habent introitum, in semicirculi similitudinem circumactum, inæqualiterque

terque cauatum; deinde autem meatum partim cartilagineum, partim osseum, totum autem flexuosum, in cuius sordibus tanquam in visco inhærescunt bestiolæ, quæ irrumpere conantur.

Hoc caput corporis trunco iungit *collum*, & ad sustinendum firmum, & ad conuertendum molle. Ad linguæ radices hærent & *aspera arteria*, & *gula*. *Aspera arteria* ad *pulmones* usque, spirandi officinam, pertinet, & seruit aëri in eos deueniendo, ex iisque reddendo. Eius primus a lingua aditus, in tenuem constringitur rimulam, quæ operculo tegitur, vt ne quid facile irrumperet, quod spiritum libere commeari non sineret, vtque vox fundenda hoc magis, pro libidine humana, intendi ac remitti, per omnes gradus posset. Linguæ radicibus aptus etiam est *stomachus*, alias *gula* dictus, quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt ore.

Cor complexu pulmonum molli fouetur, cum quibus etiam *pectoris* firma cavitae continetur ac munitur. Ejus structura ad contrahendum se dilatandumque accommodata est, vt sanguinem & expellere posset, & recipere. Hac contractionis dilatationisque vicissitudine, efficiuntur illi, & cordis ipsius & arteriarum ictus, qui vt sanguis vel celerius vel tardius labitur, ita & ipsi vel incitantur, vel retardantur. *Pectus* a ventre seiungitur *diaphragmate*, musculosa & crassa membrana; in ventre autem *intestina* locata sunt, quæ nutritioni seruiunt. In quibus princeps est *ventriculus*, qui a stomacho, dia-

phragma transeunte, depulsum cibum accipit, eumque primum liquore proprio perfusum, macerat molliorque, deinde siue tritu, siue calore suo, siue utroque conficit, coquitque, coctum denique in duodenum intestinum eiicit, per quod reliqua intestina, aut preparando sanguini, aut fecibus excernendis destinata, adhærent ventriculo. In ventris latere utroque, loca vacua relicta sunt, ab iis, de quibus modo diximus intestinis, ibique viscera quædam concluduntur, scilicet *iecur*, officina bilis, *lien* & *renes*, circa lumbos hærentes. Ab utroque summo latere aperta sunt *brachia*, habentque adiunctas *manus*, in quibus maxime robur corporis cernitur, & quæ multarum artium ministræ sunt; *digitorum* enim contractio facilis, facilisque porrectio. Hominis *digiti* articulos habent ternos, pollex binos; huic minimus mensura par est, duo reliqui sibi, inter quos medius longissime protrahitur.

Corpus omne sustinetur *feminum* ac *pedum* fulcris. *Pedum* quidem tenuitas maxime roboratur firmitate *genuum* *talorumque*, quibus *cru-ra* cum *suris* interiecta sunt. Sed gressus maxime stabilitur extremi pedis veluti fundamentis. Nam media pars conspicuam latitudinem habet, auersa autem *calcis* projectione firmatur, aduersa denique in *digitos* finditur. Quod est hominum spatium a vestigio ad verticem, id est passis manibus inter longissimos digitos.

Hoc fragile corpus ac mortale, *animus* sempiternus regit, & moderatur, & mouet, in quo nihil est mixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Non enim tu is es, quem forma ista declarat, sed animus cuiusvis est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Id quod in te cogitat, intelligit, vult, est *animus*; & quamuis eum non videas, nec videre possis, tamen ex actionibus vim eius agnoscito. In *cerebro* habitat, quod proximum & commune sentiendi instrumentum est, cui etiam circumposita sunt reliqua sensuum instrumenta, nimirum oculi, instrumentum *visus*, aures, *auditus*, nasus *olfactus*, lingua *gustus*, & papillæ fibræque nervæ, *tactus*, toto corpore æqualiter fusi.

Animus & videt, & audit & olfacit, & gustat, & tractat, non illa sensuum instrumenta, quæ quasi fenestræ sunt animi. Quod si etiam animus a corpore actionem aliquam suscipi vult, atque ea per vim corporis fieri potest, animi etiam arbitrio subest, & membra corporis recte se habent; corpus imperium animi exsequitur, quamdiu animus vult, atque eo quidem modo, quo per naturam & structuram corporis potest.

Quantumvis enim animus velit, ut corpus volet auis modo, aut ventriculus aegrotus recte concoquat cibum, & auide appetat, aut denique ut manus rigida scribat, aut pes claudus